



**R. P. Fr. Ioannis Poncii, Corcagia-Hiberni, Ordinis Ff.
Minorvm, Sacræ Theologiæ Lectoris Ivbilati, Olim in
Collegio Romano S. Isidori Primarij Professoris;
Philosophiæ Ad Mentem Scoti Cvrsvs Integer**

Poncius, Joannes

Lugduni, 1659

10. Vtrum inter indiuidua eiusdem speciei detur aliqua dissimilitudo, aut inæqualitas præter hoc quod vnum non sit alterum.
-

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95688](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95688)

imo id est necessarium, quandoquidem illa possint existere seorsum sine se inuicem, & sine toto ab illis resistent; & quandoquidem, ut suppono iam cum communiori sententia in Metaphysica probanda, existentia rei cuiusque siue completæ siue incompletæ, non distinguitur realiter ab ipsamet re.

An quælibet formalitas metaphysica habeat propriam hæccitatem.

73. *Et si quæras*, utrum quemadmodum qualibet pars physica habet propriam existentiam partialem & propriam hæccitatem partialem distinctam realiter ab existentia & singularitate alterius partis, ita etiam qualibet pars metaphysica habeat hæccitatem & existentiam distinctam formaliter ab existentia & hæccitatem alterius partis.

Respondetur, probabile esse quod sic, quia si esset eadem existentia & hæccitas formaliter, qua indiuiduaretur & existeret animalitas hominis & rationalitas hominis, non posset intelligi animalitas hominis esse singularis, aut existeret, quin intelligeretur rationalitas existere & esse singularis: sed hoc est falsum, ergo.

Dicitur, non posse rationalitatem hominis existere aut esse singularem, quin existat, & sit singularis animalitas eius: ergo præter existentiam & singularitatem qua existit, & singularizatur eius rationalitas, non exigitur alia formalitas distincta, qua existat & sit singularis eius animalitas.

Respondetur distinguendo consequens: non exigitur alia realiter distincta, concedo: formaliter distincta, nego consequentiam.

Aduertendum autem pro complemento huius rei, quod licet illud positum, quod iam explicuimus, sit principium formale indiuiduationis cuiuslibet rei: tamen, quoties res indiuidua constituitur ex partibus realiter distinctis, quarum qualibet est singularis, illæ partes ut singulares, sunt principium radicale indiuiduationis istius rei: nam si non fuisset res constans ex illis partibus, non fuisset illud singulare, quod est, sed aliud singulare: & vniuersaliter quæcumque constituunt intrinsece aliquam rem, possunt vocari principia & radices omnium prædicatorum convenientium isti rei, de quo non est vlla difficultas. Quando vero res non constituitur ex partibus physicis, sed est physice simplex, tum non querendum aliud principium aut radix indiuiduationis, præter totam entitatem rei istius simplicis, quæ physice considerata potest dici principium omnium prædicatorum istius rei.

QVÆSTIO X.

Utrum inter indiuidua eiusdem speciei detur aliqua dissimilitudo aut inæqualitas præter hoc quod vnum non sit alterum.

74. *Hæc* quæstio proponitur particulariter de anima rationali in tractatu de anima, querendum an omnes animæ rationales sint eiusdem perfectionis, supponendo quod sint eiusdem speciei; sed quia æque posset dubitari de quibuscumque indiuiduis eiusdem speciei ac de indiuiduis animæ, satis congruum videbatur eam hic vniuersaliter proponere, ubi de omnium indiuiduorum natura, qua indiuidua sunt, agitur.

Pro resolutione autem aduertendum est quod sine dubio indiuidua eiusdem speciei possunt esse dissimilia, & inæqualis perfectionis accidentaliter, quatenus scilicet vnum indiuiduum, verbi gratia Petrus, haberet perfectiora accidentia, quam aliud indiuiduum, verbi gratia quæ Paulus, & sic quotidie videmus quosdam homines melioris esse ingenij, ac indolis, ac sanioris complexionis quam alios homines. Certum etiam est indiuidua eiusdem speciei constantia ex partibus heterogeneis, ac etiam homogeneis posse esse inæqualis perfectionis substantialis integralis: sic enim cæcus ac mancus sunt substantialiter imperfectiores quam homines illi, quibus nulla pars integralis deest. Sed quæstio non est in hoc sensu, sed an indiuidua vnius speciei constantia partibus etiam integralibus omnibus eiusdem speciei, sint aut possint esse inæqualis perfectionis substantialis ex natura sua intrinseca substantiali indiuiduata, verbi gratia duo Angeli, aut duo ignes eiusdem magnitudinis, aut duo homines habentes partes integrales omnes eiusdem naturæ sine defectu vllius partis ex parte vnius, qui defe-

ctus non sit ex parte alterius. Vbi supponitur pro certo, quod si sint inæqualis perfectionis aliqua huiusmodi indiuidua ita, ut vnum sit perfectius, aut imperfectius altero, aut possit aliquid facere, cui simile non posset fieri ab altero, quod differentia & inæqualitas illa non possit conuenire ipsis ratione naturæ specificæ, quæ supponitur esse eiusdem rationis ac perfectionis in vtroque sine vlla differentia, unde debet necessario provenire formaliter, & proxime à differentia indiuiduante, & remote ac radicaliter à fundamento vel radice, unde sumitur illa differentia indiuidualis seu hæccitas.

75. *Prima sententia* asserit inter indiuidua eiusdem speciei dari posse huiusmodi diuersitatem & inæqualitatem in perfectione, eamque de facto dari inter aliquas animas rationales; existimant enim animæ Christi Domini, quamuis eiusdem speciei sit cum cæteris animabus rationalibus, esse tamen perfectiorem ex se & sua ratione indiuiduali, quam vlla alia anima. Hanc videtur olim tenuisse communiter Vniuersitas Parisiensis, nam inter articulos ab illa damnatos reperitur oppositum huius sententiæ. Eam tenet directe Caiet. 1. par. qu. 85. art. 7. Ruusius 2. de anima cap. 3. qu. 3. & alij plures, fauenteque ipsemet D. Thom. tum 1. p. q. 85. art. 7. tum in 2. dist. 32. q. 2. art. 3. Sed & Doctor etiam noster pro ea citatur 3. dist. 15. n. 12.

Aliqui autem intelligunt hanc sententiam sic, ut velit quod necessario omnia indiuidua cuiuslibet speciei debeant esse inæqualis perfectionis. Ita Fonseca 5. Met. c. 28. quæst. 16. Alij vero intelligunt eam sic, ut possint quidem esse, & de facto aliqua indiuidua, verbi gratia aliqua animæ rationales sint inæqualis perfectionis, licet possint esse, & verisimiliter sint aliqua alia indiuidua æqualis omnino perfectionis absque vlla diuersitate vel inæqualitate, Ita Auerſa qu. 9. sect. 14. Arriaga disp. 1. de anima, sect. 8.

Secunda sententia distinguit de duplici specie, vna logica, quæ scilicet sit prædicabilis in quid complete de pluribus numero tantum differentibus; altera physica, quæ est illa, quæ reputatur pro infima communiter à Philosophis ac Theologis dum tractant de ipsa, quamuis logice loquendo non sit infima. Et hoc supposito dicit, quod indiuidua eiusdem speciei logicæ non sint, nec possint esse inæqualis perfectionis, bene tamen duo indiuidua vnius speciei physica possint esse inæqualia in perfectione. Hanc tenet Auerſa supra sect. 13.

Tertia sententia absolute & simpliciter tenet, indiuidua eiusdem speciei esse non posse inæqualis perfectionis, sed necessario æqualis. Hanc tenet Dur. Argent. Sencinas, Sorus, Tolerus, & alij, quos citat & sequitur noster Canell. disp. 1. de anima sect. 10. Quia vero sine dubio loquuntur hi authores de specie metaphysica, seu illa natura, quæ potest habere rationem speciei logicæ, non credo eos habere cum secunda sententia aliam controuersiam quam de nomine.

CONCLUSIO I.

76. *Si vlla indiuidua eiusdem speciei habent aliquam dissimilitudinem aut distinctionem præter hanc quod vnum non sit alterum, omnia habebunt aliquam eiusmodi dissimilitudinem.* Hæc est expresse cõtra Arriagã supra sublezione tertia. Probatur, quia illud ipsum fundamentum quod habetur ad probandum dissimilitudinem ac distinctionem talẽ inter aliqua indiuidua, habetur ad eam probandam inter omnia: ergo si datur inter aliqua, datur inter omnia. Probatur antecedens, quia ideo, maxime secundum Arriagã, aliqua indiuidua debent esse sic dissimilia, quia sic sunt dissimiles duæ visiones diuersorum alborum, & duæ visiones eiusdem albi ab eadem potentia productæ, quandoquidem illæ magis disconueniunt inter se quam duæ visiones eiusdem albi; & ex duabus visionibus eiusdem albi ab eadem potentia productis, vna petat vniri per vnionem, per quam altera vniri non possit. Sed non sunt vlla prorsus duo indiuidua tam similia, quin vnum petat posse intelligi intellectu, per quam alterum non possit intelligi: ergo idem fundamentum dissimilitudinis habetur vtroque.

M 4

Confirmatur

Si vlla indiuidua habent distinctionem plus quàm numericam omnia talẽ habebunt:

Confirmatur: si essent aliqua duo indiuidua omnino similia, maxime duo modi eiusdem numero subiecti, qui non sint productui aliarum rerum, nec fiant aut uiuantur per actiones aut uniones distinctas, sed seipsis per se: sed vel huiusmodi duo modi non dantur, aut si dantur, sunt dissimiles: ergo non dantur vlla duo indiuidua omnino similia in principiis huius authoris. Probatur minor quoad primam partem, quia impossibile est assignare duos modos, qui non sint productui aliarum rerum: aut non respiciant essentialiter res diuersas aut non producantur diuersis actionibus. quidquid enim producit de nouo, aut est actio aut producit per actionem. Probatur minor quoad secundam partem, quae magis spectat ad propositum, quia illi duo modi petunt ex natura sua intelligi in intellectibus distinctis ita, ut unus possit intelligi per intellectum, per quem alter intelligi nequeat: ergo si dantur, sunt dissimilia tam bene, quam alia indiuidua eiusdem speciei, quae hic author asserit esse dissimilia.

Ipsamet vidit hanc difficultatem, & respondet ex eo, quod unus modus petat cognosci cognitione distincta à cognitione alterius modi, non sequi quod sit diuersus ab altero modo, sed quod distinctus: sicut ex eo, quod negatio identitatis cum alio indiuiduo reperiatur in uno & non in alio indiuiduo, non arguit diuersitatem, aut dissimilitudinem, sed distinctionem numericam; cuius rationem affert hanc, quod esse cognoscibile tali cognitione inuoluatur in distinctione numerica.

Contra primò, quia falsum est, quod esse sic cognoscibile tali cognitione inuoluatur in conceptu distinctionis numericæ illorum modorum: nam possum intelligere illos esse distinctos numero, non intelligendo eos exigere speciales cognitiones.

Contra secundò, quia sicut illa cognoscibilitas per se inuoluatur in conceptu distinctionis numericæ, ita etiam potest dici, quod esse unibile tali unioni particulari, quae alterum uniri nequeat, inuoluatur in conceptu distinctionis numericæ unius ab altero: ergo si ex illa cognoscibilitate non arguitur dissimilitudo, sed distinctio numerica, ex illa etiam unibilitate nequit argui dissimilitudo, sed distinctio numerica.

Confirmatur, posse representare hoc album & non illud, non inuoluatur in conceptu distinctionis numericæ, & propterea arguit dissimilitudinem cognitionis huius albi & cognitionis alterius albi: ergo etiam esse representabile hac cognitione & non illa, non inuoluatur in conceptu distinctionis numericæ, & arguit consequenter dissimilitudinem: sed illi duo modi habent talem representabilitatem: ergo & dissimilitudinem.

CONCLUSIO II.

77 *Non datur nec potest dari inaequalitas perfectionis, aut vlla dissimilitudo inter indiuidua vlla eiusdem speciei, quae est verè, & à parte rei infima & non subalterna.*

Probatur primò auctoritate Philosophi 3. Met. dicentis, quod in genere sit prius & posterius, non vero in specie: hoc est, quod genus sit contrahibile per differentias, quae habent inter se ordinem prioris & posterioris in perfectione, seu quod sub genere continentur aliqua inaequalis perfectionis, non verò sub specie: sed si indiuidua vlla unius speciei infimae possent esse inaequalis perfectionis, hoc esset falsum: ergo.

Probatur secundò, quia aliqua indiuidua eiusdem speciei infimae sunt, aut possunt esse aequalis perfectionis, ut verisimiliter non negabunt aduersarij, & patet, tum quia si vna aqua diuidatur in duas partes, illae duae partes erunt duo indiuidua, & tamen ludicrum esset dicere, quod essent inaequalis perfectionis: tum quia non potest assignari repugnancia aut ratio vlla, cur non possint esse. Sed est eadem ratio de quibuscumque duobus indiuiduis ac de omnibus aliis indiuiduis, eiusdem ac cuiuscumque alterius speciei infimae, quantum ad hoc: ergo omnia indiuidua eiusdem speciei sunt necessarìò eiusdem seu aequalis perfectionis sine vlla dissimilitudine, praeterquam quod hoc sit hoc, & illud sit illud, Probatur minor, tum quia ideo essent aliqua indiuidua

diuersae, seu inaequalis perfectionis, quia haberent diuersas haecceitates: sed omnia indiuidua habent diuersas haecceitates, tum quia non potest assignari ratio nec à priori, nec à posteriori cur aliqua essent aequalia, ac similia omnimodò, & aliqua non essent.

78 *Dices* posse colligi à posteriori quod aliqua indiuidua animae rationalis sint inaequalis, ac dissimilis perfectionis: sed non essentialis, quia supponuntur omnes esse eiusdem speciei: ergo indiuidualis. Probatur maior, quia alij homines habent bona ingenia; alij mala; alij sunt dextri ad res faciendas, alij sinistri; alij inclinati ad haec studia, alij ad illa; sed haec differentia non potest oriri ex alio capite, quam ex animabus: ergo animae sunt inaequalis perfectionis. Quod si etiam proueniret ex corpore, aut ex corpore simul cum anima, sequitur adhuc intentum, nimirum quod aliqua indiuidua hominum sint inaequalis perfectionis.

Respondeo negando maiorem & minorem probationis: nam illa differentia posset prouenire sine vlla diuersitate substantiali, ac indiuiduali corporis, aut animae ex sola diuersitate temperamenti accidentalis & humorum aliorum, quae non sunt de essentia, aut indiuidualitate hominis, ut patet euidenter ex eo, quod idem homo nunc sit bene dispositus ad studendum & discurrendum, nunc malè, nunc inclinat ad vnam rem, nunc ad alteram, sine vlla variatione in perfectione substantiali aut indiuiduali corporis, aut animae.

Et hinc ruit fundamentum Ruyi dicentis, quod animae non peterent huiusmodi diuersas dispositiones maioris, aut minoris perfectionis, nisi ipsamet ex se essent inaequalis perfectionis. Ruit, inquam hoc fundamentum, quia si vna anima potest esse nunc cum meliori, nunc cum peiori dispositione sine inaequalitate in sua perfectione, sine dubio poterunt diuersae animae esse cum diuersis, & inaequalibus perfectionibus sine diuersitate aut inaequalitate in perfectione ipsarum animarum. Quod si diuersae animae, peterent ex natura sua intrinseca diuersas dispositiones maioris aut minoris perfectionis ita, ut vnà exigeret conaturaliter has, alia illas, profectò posset quis dicere quod distinguètur specie, atque adeò quod non essent indiuidua eiusdem speciei infimae. Vnde

79 *Probatur tertio conclusio:* si vlla duo indiuidua essent ex praedicatis suis intrinsecis inaequalis perfectionis, aut vllò modo dissimilis, nisi quatenus vnum esset hoc & non illud; aliud illud & non hoc, posset optimè dici, quod essent distinctae speciei, & consequenter non essent indiuidua eiusdem speciei infimae. Probatur sequela prima, quia propterea dicimus simiam, & hominem, mulum & equum, & quaecumque alia differunt specie, esse distinctae speciei, quia ex praedicatis suis intrinsecis habent dissimiles operationes aut effectus, aut aliquam aliam dissimilitudinem, quam quod hoc sit hoc, & illud sit illud: ergo si illa duo indiuidua aut hominum aut animarum sunt alio modo dissimilia ex natura aut praedicatis suis intrinsecis, quam quod hoc sit hoc, & illud sit illud, debet dici quod sint simpliciter diuersae speciei.

Dices, non propterea colligi mulum & equum, &c. esse distinctae speciei, quia ex praedicatis intrinsecis quomodocumque sunt dissimiles, sed quia sunt tales ex praedicatis intrinsecis essentialibus.

Contra: si quis diceret quod illa duo indiuidua essent dissimilia in praedicatis essentialibus, non posset impugnari; & si quis veller dicere quod mulus & equus non essent dissimiles in praedicatis essentialibus, sed in indiuidualibus, posset id dicere aequè benè, ac quod illa duo indiuidua dissimilia essent dissimilia non in praedicatis essentialibus, sed in indiuidualibus: ergo eodem modo posset de vtrisque differi.

80 *Dices* illa praedicata sola esse intrinseca & essentialia, quae sunt comunicabilia: sed illa inaequalitas perfectionis & dissimilitudo, quae essent inter indiuidua eiusdem speciei, non orirentur ex praedicatis intrinsecis comunicabilibus, sed ex haecceitatibus incommunicabilibus.

Contra primò, quia posset sic dici quod dissimilitudo & inaequa

Indiuidua eiusdem speciei non sunt ex se inaequalis perfectionis.

inæqualitas perfectionis equi & muli non oriretur ex prædicatis communicabilibus, sed hæcceitatibus eorum.

Secundo, quia gratis asseritur, quod illud prædicatum intrinsecum non sit essentialiale. Quod non est communicabile: imo id videtur esse falsum, quadoquidem prædicata intrinseca & essentialia Dei non sint communicabilia communicabilitate, de qua hic loquimur, hoc est illa, quæ est propria naturæ vniuersalis, secundum quam res potest communicari cum sui multiplicatione numerica, & in sententia Thomistarum differentia specifica cuiuslibet Angeli esset incommunicabilis, & tamen esset prædicatum intrinsecum & essentialiale eius.

Tertio, quia illud prædicatum, ratione cuius competerebatur uni individuo, v.g. Petro, aut animæ eius perfectio tria, esset prædicatum communicabile, quia posset esse alia aliqua anima & alius homo, qui omnino æqualem & similem fortiretur perfectionem: ergo illa duo individua conuenirent in illo prædicato, & consequenter illud prædicatum esset ipsis communicabile & essentialiale. Et sane qui hoc negaret, posset, vt dixi, negare prædicatum illud, in quo duo muli sunt magis inter se similes, quam mulus & equus sunt similes, esse ipsis commune.

81. *Confirmatur totum hoc*, quia illa duo individua, v.g. duæ animæ, quæ essent omnino similes & æqualis perfectionis, magis conuenirent inter se, quam vllum ex ipsis conueniret cum aliis indiuiduis eiusdem speciei, v.g. aliis duabus animabus maioris perfectionis: sed non magis conueniunt numero, quia tam bene sunt inter se numero distincta, quam ab illis aliis: ergo conuenirent inter se in aliquo prædicato essentiali specifico vel generico. *Rursus*, indiuiduum perfectionis, vt tria, magis distinguitur ab indiuiduo perfectionis vt duo, quam ab alio indiuiduo perfectionis vt tria: sed ab hoc distinguitur numero: ergo ab illo distinguitur specie, quæcunque enim magis distinguuntur quam numero, distinguuntur necessarîo specie.

Dices: calor vt tria, & aqua trium pedum magnitudinis magis distinguuntur ab aqua duorum tantum pedum, & calore vt duo, quam ab aqua alia trium pedum, & calore alio vt tria: sed non distinguuntur tamen specie ab aqua duorum pedum, aut calore vt duo: ergo non est verum quod, quæ differunt plusquam numero, differant specie.

Respondeo illud axioma, & doctrinam nostram præmissam intelligenda de diuersitate, quæ oritur ex alio capite quam ex continuatione, aut additione plurium partium, aut graduum eiusdem speciei, non vero de diuersitate orta ex tali additione: in exemplo autem allato contra, diuersitas maior oritur ex tali additione, unde non facit ad rem, nec tollit vim axiomatis in sensu, in quo communiter intelligitur & debet intelligi.

82. *Probatur ultimo conclusio*, quia hæcceitates non addunt supra naturam specificam, nisi vel, vt communius tenent recentiores, negationem vterioris communicabilitatis cum diuisione numerica, vel certe, vt tenemus nos formalitatem positivam, quæ sit principium talis negationis, & cuius solum munus & officium est fundare talem negationem; quodque aliter explicari non possit, vt distinguitur formaliter à formalitatibus essentialibus, quam quod sit principium, ad quod sequitur talis negatio: sed quicumque modus ex his teneatur, non potest hæcceitas vna tribuere maiorem, aut dissimilem perfectionem illi, quam altera quæcunque tribuit; ergo indiuidua eiusdem speciei nequeunt habere inæqualitatem vllam, aut dissimilitudinem in perfectione. Probat minor, quia quodlibet indiuiduum est tam perfecte incommunicabile, quam quodcumque alterum indiuiduum: ergo habet negationem incommunicabilitatis tam perfectam, & principium formale indiuiduandi vt tale præcise, quam quodlibet alterum indiuiduum; ergo implicat quod habeat ex tali negatione, aut ex principio formali indiuiduandi, quæ tale, maiorem perfectionem, quam quodcumque alterum.

Confirmatur specialiter contra primum modum dicendi de negatione, quia nulla negatio potest esse principium formale, aut radicale perfectionis positivæ: ergo nullum

indiuiduum ratione negationis potest esse maioris perfectionis quam aliud indiuiduum.

Confirmatur secundo contra secundum modum de positione: illud positivum, quod indiuiduat, licet realiter, vt identificatur aliis prædicatis, habeat omnia illa munera quæ competunt aliis illis prædicatis; tamen formaliter, vt hæcceitas, aut vt Petreitas v.g. non habet aliud munus, quam facere naturam specificam esse hanc, seu facere vt hæc res non sit illa res, sed talis, quæ cum illa re faciat numerum rerum, vt plures homines: sed est evidens quod sub hoc conceptu præcise non possit tribuere maiorem, aut minorem perfectionem: ergo indiuidua ex hæcceitatibus formaliter consideratis non possunt habere, nec formaliter nec radicaliter inæqualitatem perfectionis.

Quod si dicas Petreitatem, v.g. non vt est hæcceitas formaliter, sed secundum aliam rationem, tribuere illam maiorem perfectionem: *Contra*: quia sic posset dici quod secundum alias rationes tribuat omnem perfectionem competentem rei ex natura specificæ; & vltius non poterit ostendi cur secundum aliam illam rationem considerata non sit prædicatum intrinsecum & essentialiale rei.

Obiicies primo censuram Parisiensem præmissam in propositione primæ sententiæ.

83. *Respondeo*, illam non transire Sequanam, sed nec in illa ipsa Vniuersitate modo viget, cum multa hodie in ea teneantur, quæ olim simili multabantur nota.

Obiicies secundo: sequeretur, quod anima Christi non esset perfectior anima Iudæ: sed hoc videtur inconueniens, ergo.

Respondeo distinguendo maiorem: quoad prædicata intrinseca tam quidditativa, quam indiuidualia, concedo, nec id est inconueniens, quoad perfectiones accidentales, nego maiorem, & conformiter distinguo minorem, & nego consequentiam. Et sane si anima Christi sit substantialiter imperfectior substantia Luciferi secundum omnes, & si non sit essentialiter perfectior anima Iudæ, quod fateri debent aduersarij, quia alias non essent eiusdem speciei infimæ, non est mirum, nec inconueniens quod non sit perfectior anima Iudæ indiuidualiter.

84. *Obiicies tertio*, secundum Philosophum 2. de generatione animalium cap. 3. sicut anima est perfecta magis vel minus, ita corpus præparat, ergo datur inter animas inæqualitas perfectionis.

Respondeo distinguendo consequens: inter animas eiusdem speciei, nego, neque de his ibi agit Philosophus; inter animas diuersæ speciei, de quibus agit Philosophus, concedo consequentiam.

Obiicies quarto: Genus diuiditur per differentias específicas inæquales: ergo & species infima per differentias numericas inæquales.

Respondeo negando consequentiam, quia non repugnat differentiis specificis inæqualitas perfectionis, sicut nec dissimilitudo; repugnat autem differentiis numericis, vt patet ex principiis nostræ conclusionis.

Obiicies quinto: Salomon Sap. 8. dicit se sortitum fuisse animam bonam comparatiue ad alios homines, qui non sortiti sunt æque bonam, & propterea agit gratias Deo recognoscendo illud beneficium: ergo datur inæqualitas perfectionis inter indiuidua eiusdem speciei.

Respondeo distinguendo antecedens: animam bonam substantialiter, cum illa comparatione, hoc est meliorem aliorum hominum animabus, nego antecedens; accidentaliter ratione donorum superadditorum & dispositionis corporalis, concedo antecedens; & similiter distinguo consequens; ex ratione substantiali intrinseca siue essentiali siue indiuiduali, nego; ex donis extrinsecis & accidentalibus animæ, concedo consequentiam.

85. *Obiicies sexto*: duæ actiones, quibus producuntur ab iisdem causis duo calores, v.g. numero distincti, sunt magis similes inter se, quam duæ actiones quibus eadem causæ possent producere eundem numero calorem: ergo inter has duas & illas est aliqua dissimilitudo plusquam numerica.

Rursus: ubi, quo ponitur quis in vno loco, magis est dissimili;

diffimilis *vbi*, quo poneretur in alio loco, quam alteri *vbi*, quo poneretur in eodem loco: ergo inter *vbi*, quo ponitur in vno loco, & illud quo ponitur in altero, est aliqua diffimilitudo plusquam numerica. Itē visio vnus albedinis distinguitur magis à visione alterius albedinis, quā ab alia visione eiusdem albedinis: ergo habet aliquam diffimilitudinem cum visione alterius albedinis plusquam numericam. Omnes hæ consequentiæ probantur, quia illæ actiones, *vbi*, & visiones habent diffimilitudinem numericam cum *iis*, cum quibus magis conueniunt, aut cum quibus maiorem habent proportionem: ergo plusquam numericam habent cum *iis*, cum quibus minus conueniunt, aut cum quibus minorem habent proportionem; sed ab *his* non distinguuntur specie: ergo falsum est axioma adductum in fauorem conclusionis, quod quæ differunt plusquam numero differunt specie, etiam in sensu, in quo supra dictum est illud debere intelligi. Et vterius: ergo potest inter aliqua esse aliqua particularis diffimilitudo aut improprio ex differentiis indiuidualibus magis, quā quod vna faciat hoc esse hoc, & non illud, altera facit illud esse illud & non hoc; & sic ruit totum fundamentum nostræ conclusionis.

Probatum subsumptum, scilicet quod actio respiciens vnum calorem nō distinguatur specie ab actione respiciente alium calorem, & quod *vbi* respiciens vnum locum non distinguatur specie ab *vbi* respiciente alium locum; & denique quod visio respiciens vnam albedinem non distinguatur specie à visione respiciente aliam albedinem. Probatum, inquam, hoc subsumptum, quia nō videtur possibile quod illa distinguantur specie, quæ nō respiciunt aliqua specie distincta & specialiter non videtur possibile vt actiones aliquæ aut vili respectus distinguatur specie, nisi vel fundamentū vel terminus vel ratio fundandi vel conditio aliqua sine qua non, vel diuersitas modi, quo exit à fundamento (vt si vna actio libere, altera naturaliter à principio exiret aut emanaret) vel aliquod connotatum eius sit distincta rationis: sed nihil horum interuenit in exemplis prædictis aut vllis similibus: ergo illa non erunt distinctæ speciei.

Confirmatur, quia distinctio specifica respectuum & actionum debet desumi ex termino, aut fundamento, aut ratione fundandi, aut conditione sine qua non, aut aliquo connotato; sed ex nullo horum capitum potest desumi distinctio specifica prædictorum, cum omnia sint respectu omnium eiusdem speciei: ergo nullo pacto debet asseri distinctio specifica inter ipsa.

86. Hæc obiectio quamuis non vrgeatur tam communiter contra nostram conclusionem, est potissima tamen, quæ vrgeri potest, & quæ probabilitatem aliquam oppositæ sententiæ possit conciliare.

Respondetur autem, actionem, qua producit vnum calorem hoc ipso, quo determinatur ex natura sua intrinseca ad illum calorem ita, vt non possit esse terminata etiam de potentia absoluta ad aliud, esse omnino distincta speciei ab alia actione, per quā producit alius calor numero distinctus, & idem est dicendum, seruata proportionem, de *vbi*, & visionibus, aliisque rebus eiusdem rationis. Vnde nego subsumptum obiectiois, & ad eius probationem dico sufficere ad distinctionem specificam aliorum, quod vnum ex illis aliquid, quod formaliter non faciat seu non conducat ad distinctionem numericam, ex natura sua intrinseca ita necessariò includat, vt alterum simile quid non includat, siue respiciat aliquid distinctæ speciei, siue non respiciat: quare nego in forma maiorem probationis. *Ad confirmationem respondeo* distinguendo maiorem: ex illis capitibus solum, nego maiorem: ex illis, sed non solis, concedo maiorem, & concessa minori, nego consequentiam.

Obicitur septimo: Duo homines quorum materia aut corpus essent diuersa numero, magis inter se disconuenirent, quā duo homines, quorum materia esset vna numero: sed tamen non distinguuntur specie: ergo aliqua, quæ plusquam numero differunt: etiam sine additione partium aut graduum eiusdem speciei, non differunt specie, & consequenter corrumpunt fundamenta nostræ conclusionis.

Respondeo distinguendo consequens: si disconuenientia maior oriatur ex eo quod non conueniant in aliquo vno numerice, sicut alia quæ minus disconueniunt, concedo consequentiam: si sic, nego consequentiam: quemadmodum enim disconuenientia maior ex negatione tot graduum, quot alia habent, non arguit distinctionem specificam: ita dicendum de disconuenientia orta ex negatione inclusionis vnus rei numero, qualis includitur in aliis.

CONCLUSIO II.

87. Illa acceptio speciei physica, quæ scilicet, sub se contineat plures species infimas logicè consideratas, est prorsus inutilis, noua, & sine fundamento. Hæc est directe contra Auersem supra, & meo iudicio communissima apud vereres, quos in quæstione de nomine potius debemus sequi.

Probatum autem, quia non potest assignari utilitas aliqua proueniens ex illa acceptione; nec vllus antiquus author, qui eam vsurpet; nec aliqua ratio aut fundamentum, ob quod de nouo constituatur: ergo est inutilis, noua, & absque fundamento.

Confirmatur hoc, quia quotquot veterum dicebant aliqua esse eiusdem speciei, ac solo numero distincta, prorsus id intelligebant de specie infima, quæ vere & realiter ita infima est, vt possit de pluribus numero tantum differentibus prædicari: ergo loquebatur de specie logica, & non de physica.

Confirmatur secundo, quia quamuis agerent de aliquibus rebus, secundum aliquam considerationem communem genericè illis, non descendendo ad rationes specificas, nō inde sequeretur quod existimarent illa esse eiusdem speciei vllō modo, aut quod vocarent illa eiusdem speciei.

88. Dices cum Auerse Philosophi agunt de anima rationali tanquā de specie infima, tamen possunt dari sub illa animæ diuersæ, ac inæqualis perfectionis (quidquid sit an de facto dentur tales) ita vt vna possit esse maioris virtutis in operando, quā alia: ergo aliqua species reputatur pro infima à Philosophis, & consideratur tanquam infima, quæ tamen logicè non sit infima: ergo admittenda est acceptio speciei physica in sensu explicato.

Respondetur, Philosophos, qui agunt de anima rationali, tanquam specie infima, re vera existimare eam esse speciem vere infimam, & non capere speciem infimam in sensu Auerse, sed in sensu proprio, quo capitur pro specie prædicabili logica, quidquid sit an in hoc decepti sint, nec ne. Vnde in forma respondeo distinguendo maiorem: illi Philosophi, qui putant plures animas rationales non posse esse distinctæ speciei logicæ, concedo; alij Philosophi, nego maiorem, & admissa minori ac consequentia prima, nego consequentiam secundam, quia qui agunt de anima, tanquam de specie, non intelligunt speciem physice consideratam, quæ possit habere sub se plures alias species, sed de specie vere infima logicè loquendo.

Dices secundo: Thomistæ vocant naturam Michaëlis speciem, sed tamen non est species logicè loquendo in sententia eorum, quandoquidem non sit prædicabilis de multis, nec communicabilis: ergo aliquid potest vocari species, quod non est species logica.

Respondeo, quidquid sit de minori, quæ secundum Caietanum est falsa, cum ipse putet illam naturam esse speciem logicā, licet nequeat à parte rei multiplicari numero. Quidquid inquit sit de hoc, respondeo distinguendo consequens: si habeat sub se plures species, nego; si non habeat, quamuis non habeat plura indiuidua, transeat. Loquar autem semper de specie infima, de qua hic est sermo, cum de specie subalterna ac subiectibili non sit dubium, quin sint multæ tales species, quæ non sunt species prædicabiles logicæ.

90. Pro complemento huius quæstionis hic addendum sententia duxi, quod aliquos audierim Professores alicuius notæ aliquot defendentes inæqualitatem perfectionis in indiuiduis eiusdem speciei ex hoc principio: quod illa sint censenda eiusdem speciei, quæ quamuis habeant aliquā diffimilitudinem in prædicatis intrinsecis, tamen nō differunt notabiliter, vnde quando aliqua differunt aliquo modo, sed non

Inutilis est distinctio speciei infime logicæ & physice.

non notabiliter, non debent dici differre specie, sed numero tantum, & consequenter quandoquidem haberent aliquam dissimilitudinem & inæqualitatem perfectionis, licet non notabilem, deberent dici esse dissimiles & inæqualis perfectionis intra eandem speciem, & illa dissimilitudo & inæqualitas competere ipsi ratione differentiarum individualium, quibus notabiliter differrent, quæ solæ differentia iuxta hanc sententiam sunt specificæ differentia, & omnes differentia, quibus res non differunt notabiliter sunt differentia tantum individuales: quam sententiam videtur amplecti *Arriaga disp. 1. de anima subf. 2.*

Non requiritur ad distinctionem specificam notabilis differentia.

91. *Hæc sententia* incurrit eandem notam, quam præcedens Auerfæ, si non sit minus fundata.

Impugnatur autem primo per probationes secundæ conclusionis, quæ æque militat contra hanc ac contra Auerfam.

Impugnatur secundò, quia si quæ essent individua inæqualis perfectionis intra eandem speciem iuxta hanc sententiam, maxime duæ visiones diuersarum numero albedinum, aut duæ animæ exigentes diuersam corporum complexionem, aut habentes inclinationes dissimiles: sed huiusmodi habent omnino notabilem differentiam; nam valde notabilis est differentia huius visionis ab illa, quod vna visio de potentia absoluta non possit extendere se aut terminari ad obiectum alterius, nec contra, & quod vna anima ita respiciat talē dispositionem aut inclinationem, ut non possit respicere aliam: ergo illa differunt specie & non differunt specie, differunt quidem quia notabiliter differunt; non differunt autem specie, ut supponitur in illa sententia.

Confirmatur, quia actio & passio differunt specie, ut supponitur communiter, ut equus ac mulus: sed certe posset dici quod non differrent notabiliter, si prædicta non differant notabiliter.

Confirmatur secundò, quia quando dicitur, quod illa sola differant specie, quæ notabiliter differunt, vel intelligitur de notabilitate ex parte nostræ cognitionis ita, ut nos cognoscamus, quod habent illam notabilem differentiam, vel ex parte rei independenter à cognitione nostra: si primò dicatur: ergo, si nos non cognouissemus finiam & hominem distingui notabiliter, non distinguerentur specie, quod est absurdum. Si secundum dicatur; unde constat, quod illa, quæ habent inæqualitatem perfectionis, aut maiorem dissimilitudinem, quam quod vnum ex illis non sit alterum, sed faciat numerum cum ipso, non habeant à parte rei notabilem differentiam?

Adde ad hæc, quod multa censeamus esse diuersæ speciei, in quibus non apparet tam notabilis differentia, nisi quod constet ea differre plusquam numero, id quod euidens est in multis herbis, piscibus, ac lapidibus.

92. *Dices* in rebus moralibus illa censetur esse eiusdæ speciei, quæ licet habeant aliquam dissimilitudinem maiorem, quam quod vna non sit altera, non habent tamē notabilem: ergo similiter in physicis dicendum, quod illa sint eiusdæ speciei, quæ non differunt notabiliter.

Respondet, quidquid sit de antecedenti, negando consequentiam, quia moralia pendent ex æstimatione, quæ potest non considerare aut curare paruum differentia: sed physica non dependent ab æstimatione, sed à re ipsa; unde si in te habeant dissimilitudinem maiorem quam quod vna non sit altera, debent dici distincta speciei.

Dices secundò cum Arriaga: Petrus & Paulus sunt individua eiusdæ speciei, sed tamen maiorem dissimilitudinem habent inter se, quam numericam: nam Petrus includit vnionem, quæ magis quam numero distinguitur ab vnione Pauli; vnio enim Petri ex se determinatur ad materiam & formam Petri ita, ut non possit poni inter materiam & formam Pauli; ergo, &c.

Respondet aliquis negando vnionem per se includi in composito, sed esse tantum conditionem sine qua non, unde quamuis vniones Petri & Pauli essent diuersæ speciei, non sequeretur Petrum & Paulum esse diuersæ speciei & plusquam numero distinctos.

Contra, quia quamuis vniones non includerentur per se in composito, sed per modum conditionis, tamen materia Petri respicit vnionem Petri sic, ut non possit subiectare vnionem Pauli; ergo est differentia plusquam numerica inter materiam, quæ per se includitur in Petro, à materia Pauli, & consequenter Petrus & Paulus distinguuntur plusquam numero, non minus quam sic distinguerentur, si per se includerent vniones.

Contra secundò, quia quæcunque ex natura sua intrinseca præsupponunt conditiones diuersæ rationis, sunt diuersæ rationis: sed Petrus præsupponit, ut supponitur in hac responsione, vnionem distinctæ rationis ab ea quam præsupponit Paulus: ergo Petrus & Paulus sunt distinctæ rationis.

Respondet ergo aliter negando maiorem: ad cuius probationem dico, quod Petrus, & Petrus non includat talem vnionem ut habet illam maiorem differentiam, esset enim idem numero Petrus, quamuis illam non includeret, sed aliam quamcunque. Et si quæras, cur ergo realiter à parte rei nequeat esse Petrus absque tali determinata vnione? Respondet hoc prouenire ex vnionis natura, quæ cum sit essentialis determinatio, nequit habere indifferentiam. Quod si etiam Petrus ex natura sua peteret talem vnionem particularem, & talem intellectiōem particularem plusquam numero distinctas ab vnione & intellectiōe, quas peteret Paulus, dicendum esset, quod essent distinctæ speciei realiter loquendo, & à parte rei propter principia nostræ conclusionis: nec refert, quod communiter reputentur esse eiusdæ speciei, quia considerantur communiter ut homines, & ut includunt formalitates spectantes ad esse hominis, quæ homo est præcise, easque quæ consequuntur ad illas formalitates, & quæ possunt illas determinare ad aliam rationem hominis; unde cum in his formalitatibus non habeant dissimilitudinem, merito censentur eiusdæ speciei humanæ, quamuis secundum alias consideraciones, & formalitates essent diuersæ speciei.

Propter hanc tamen replicam & obiectionem sextam satis probabile est posse dari intra eandem speciem duo individua, quæ sint magis dissimilia quam distinctio numerica præcise exigat, modo tamen illa dissimilitudo non inuoluit ordinem ad aliquam diuersam speciem; unde quia distinctio, quam vnio, & similitudo & intellectiō huius albedinis habet ab vnione, similitudine, & intellectiōe alterius albedinis, non inuoluit ordinem ad distinctam speciem, propterea possunt dici esse eiusdæ speciei. Et iuxta hoc posset limitari conclusio de dissimilitudine inuolvente ordinem ad diuersam speciem.

QVÆSTIO VLTIMA.

De individuo logico, seu secundo intentionaliter considerato.

93. **D**Vas adhibuit descriptiones individui hoc modo accepti Porphyrius. Prima, quod sit illud quod subiicitur speciei, quod intelligendum de specie infima, quia alias species infima esset individuum, quia subiicitur speciei subalterne. Subiectio etiam illa intelligenda est non ita, ut non subiiciatur alicui, quod non sit species infima, quia subiicitur etiam generi & omnibus prædicatis superioribus ad speciem infimam: sed vel ita, ut non subiiciatur generi immediate, sicut subiicitur speciei infimæ: vel ita quod si per accidens ad naturam ipsius, quod subiicitur alij quam speciei infimæ; vel ita denique ut, quamuis subiici possit generi, debeat etiā cōplete prædicari possit, nec de hoc est vlla difficultas consideratione digna vteriori. Altera definitio, seu descriptio est, quod sit illud, quod de vno solū prædicari potest: de cuius descriptionis bonitate hic agendum.

CONCLUSIO II.

94. *Hæc descriptio individui bona est.* Est communissima, patet quia per eam declaratur natura eius, ut distinguitur ab vniuersali, quatenus vtrumque dicit ordinem ad actus comparatiuos intellectus: ergo bene describitur secundò intentionaliter acceptū. Probat autem antecedens, quia vniuersale est, quod potest prædicari de multis.

Prima descriptio individui.

Quæ ratione particula in individuo habet subiecti generis.

Bene describitur individuum secundò intentionaliter acceptū.